Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36449
Copyright: Melk, Benediktinerstift

cum ceteris captus ductus est ad hiberniam et in aquilonalis parte vi annis servivit apud quendam regulum gentilem inmitemque qui vocabatur miliuc filius buain. Cottidie vero gregem illius custodiebat [et sues pascebat] et frequenter ad deum omnipotentem orabat. Tunc datum est ei illud nomen quod dicitur cothirge eo quod quatuor domibus serviebat. Nam centies in die orabat et similiter in nocte et cottidie magis ac magis timor dei et amor christi et fides augebatur in eo quia spiritus fervebat in eo. Et in silvis et in monte manebat et ante lucem excitabatur ad orationem per nivem per gelu per pluviam et nichil mali senciebat neque ulla pigricia erat in eo.

Et cum completi essent sex anni in servitute venit ad eum angelus domini nomine auctor qui frequenter eum visitabat dixitque ei. Bene ieiunas et oras cito exiturus ad patriam tuam. Et iterum dixit Ecce navis tibi parata est. Que non erat prope sed distabat longo itinere quasi cc milibus passuum. Stetitque angelus super petram et usque hodie manent vestigia eius in petra. Dixitque patricio. Vade et vide locum illum ubi porcus ille terram naribus foderit et quod ibi inveneris da domino tuo pro te in precium ut possis ab eo consequi libertatem. Exiit patricius et invenit illic pondus auri et dedit regulo. Regulus autem gavisus est aurum videns et dimisit liberum patricium. Postquam autem exiit patricius in viam penituit iniquum regulum quod servum suum optimum dimisisset liberum. Tunc ergo perrexit post patricium ut reduceret illum sed tamen non invenit eum. Et postquam persequens in anima in suam domum redijt illud pondus auri non comparuit. Patricius ergo perrexit ad mare et invenit ibi navim paratam in qua erant gentiles et receperunt eum cum gaudio et navigavit cum eis tribus diebus et noctibus tribus et post triduum tenuerunt terram et viginti quatuor diebus ambulaverunt per desertum et cibus defuit illis et invaluit fames. Tunc dixit ei gubernator Quid est christiane? Tu dicis quia deus tuus magnus est. Quare ergo non rogas pro nobis quia fame perimus? Dixitque ei patricius. Convertimini ex toto corde ad dominum meum quia nichil impossibile est illi ut mittat nobis cibum in viam nostram. Et orante patricio ecce grex porcorum apparuit illis in via et multos ex eis occiderunt et mel silvestre invenerunt Et ex hac die habundanter habuerunt et gratias deo egerunt et honorificaverunt sanctum patricium. Dixeruntque ei ut comederet cum eis sed non comedit quia isti immolaverunt cibos istos idolis suis Eratque patricius simul cum illis neque manducans neque bibens per dies xxx et nec esuriens neque siciens.

Eodem vero ens mansit illesus tempore nocte dormiens fortiter temptavit eum satanas et cecidit diabolus super eum tribus diebus et tribus noctibus et oppressit eum gravitate saxi ingentis ita ut nil membrorum suorum potuisset movere. Tunc sanctus patricius vocavit he